



Poppo ingenio & sanctitate apud Germanos
 in magno pretio extitit. Itaque Adalgaſus Pre-
 mensis antistites eum ad Danos prædicatum Euau-
 gelium misit, Sueone rege id maximè expetente,
 anno Christi noningentesimo septuagesimo. Ha-
 buit Poppo eius rei auditores Haricum & Lesda-
 gum, qui Ripæ manserūt, & Gerbrandum qui Ro-
 ckildiæ docuit. Verūm Poppo sua diligentia om-
 nes superauit, atque multos ad ueram religionē per-
 duxit. Cum autē multi Barbarorum essent, qui eius
 monita contemnerent, percontatus eos est, an suā
 doctrinam suscipere uelint, si ad flagrantis ferri ta-
 ctum manus illeſas conseruaret. Id cum approbas-
 sent, carentem ferri laminam chirotecę formā habentem adferri iussit. huic
 manus inferuit, ac aliquandiu retentam ante principis pedes collocauit. Ibi
 cum eius dextram inuiolatam uiderent, religionem Christi cupidius ample-
 xi sunt. Hinc etiam factum, ut duellorum consuetudine abrogata, controuer-
 siarum examen ad carentis ferri tactum retulerint Dani, iudicium ad Del-
 arbitrium potius, quam humani corporis uires referentes. Postea Pop-
 po apud Aruſium Episcopus factus, Ecclesiam fundauit, atque
 Septentrionales populos in uera fide instituit.